


HECTORIS PARATORE

VERGILII OPERA OMNIA IUXTA UNITATIS MODUM CONSIDERANDA

Latina versio orationis quam Hector Paratore, e Studiorum Universitate in Urbe cui titulus "La Sapienza", habuit Augustae Taurinorum, penes "Circolo della Stampa", die XXX, mens. Mart., MCMLXXXII, inter sollemnia bismillesimi anni vertentis a Vergilii obitu celebrandi causa adparata cura et studio Legationis Taurinensis Adsociationis Italicae Classicis Studiis provehendis (A.I.C.C.), Renato Ugлионе praeside atque auctore

Postquam Aeneidos maximi saeculi XIX interpretes, verbi gratia Forbiger, Conington, Nettleship, curaverunt ut ad poematis intelligentiam continua pro verbo explicatio potior esset ac R. Heinze, illo praecipuo libro qui inscribitur «Vergils epische Technik» accuratam Latini operis rationem capitalem aperuit, diu



consenserunt omnes Vergilium existimantes in hac falsa sententia: Aeneida esse Vergilii perfectum opus, singulare, suo tempore conditum, diligentissime meditatum.

Quamquam Gercke, Sabbadini posterioresque auctores de locis dubiis vel repugnantibus ac poema inficientibus admonuerant, tamen praedicta sententia inhibentem vim tenuit adeo firmam ut, primus Poeschl, dein Knight, Quinn, Otis, postremo Brisson et Lesueur, ad unitatis rationem Gallicam scholam informantes, omnino assecuti sint quamdam Aeneidos explanationem per figuratas, cui faverent singulares, at saepenumero arcessitae notationes ad elocutionem attinentes, vel quasi magnificantes commenticias permutationes quae difficulter ad propriam poematis naturam iungi possunt.

Ne dicam de opere quod inscribitur «Structural Patterns and Proportions in Vergil's Aeneid», auctore Duckworth, qui in Aeneidos forma invenire conatus est arcanas rationes Pythagoricas vel prorsus pertinentes ad insequentis aetatis mathematicas artes.

Opportune his temporibus Vergilii studiosi novas inclinationes suscepérunt, de priore exploratione praecipua vergentes in sententiam necessariam: poetae opera omnia iuxta unitatis modum denuo consideranda. Eorum opera, mortis recursus sollemnia commodissime fiunt ad propriam poetae mentem et eius artis formas omnibus gratissimas bene perspiciendas. Nunc tandem nascitur consensus de Vergilio praecipue pacis vate, quippe qui rem laudat ab omnibus maxime nunc expertitam, ideoque, inter magnos antiquitatis poetas, nobis propior sodalis exstat. Quae cognitio in nova mente

consistit ita, ut doctorum animus ab Aeneidos studio fere singulari liberatus sit.

Nunc vero necesse habetur initium sumere a Bucolicis ac Georgicis carminibus, ubi haud dubie poeta maximam diligentiam posuit, nulla extranea incitatione cogente, quod contra negari non potest in Aeneide, quae insuper — aliter ac duo carmina ab auctore attento animo expolita — ad nos pervenit nascens et imperfecta, cui extrema manus non accessit, adeo discrepantiis reiectisque abundans ut, teste Donati «Vita», poeta, moriens, chirographum urere iuberet. Et relatio quidem Romana ex tribus quas in nationum Vergiliano conventu nuper exposui, poematis disputabilem scripturam, sicut ad nos venit, perspicit.

In « Bucolicis » autem, longe a levi Theocriti doctrinam imitandi studio, recusatio videnda est, maxime in Eclogis I et IX, contra praediorum detractionem: hoc est vero integrum vindicandae propositum pacis agrestis contra armorum saevitiam; hic est poetae Vergilii tota et unica mens cum suis necessariis elementis sinceris humanisque. Et iam in Ecloga VII pastores cum Arcadibus aequati sunt, quasi exprimant Arcadiam fictam (actio vero apud Mincium fit) quae sapientiae exemplum se ostendit in singulari studio erga Naturam matrem, quae viventibus apud se solacium praebet.

Ergo haud mirandum est eclogarum praecipuam quartam esse notissimam, ubi poeta, pacem exoptans civilia bella dirimentem, initium capit a Sibyllae Cumanae responsis, quae vero in Aeneide ad Inferos Aenean ducet, et saeculum aureum renovatum praedicat, quod Saturnus, de caelis a filio Iove pulsus, in Latii regione continuaverat.

Quae igitur Vergiliani carminis potissimae sententiae in ceteris operibus manebunt. Pertinacis doctorum erroris nescio quo casu, cum Aeneis adhuc perfectum opus maxime concinnum existimetur, carmen autem ab auctore optime expolitum, videlicet Georgicon, in discrepantia positum habetur, adeo ut recentissimi studiosi Americani singillatim quattuor libros intelligendos esse vellent. Ad auferendum dubium animadvertere sufficit res actas cum carmen scriptum est: quod vero initium habuit in summo Italiae discrimine: civilium bellorum causa Urbs annonam quasi impeditam querebatur ideoque italici agricolae in ei victu praebendo omnes curas ponebant; inde in poematis libro I «labor improbus» ab Iove statutus veluti dura lex ostenditur. Posterioribus autem annis res paulatim restituebantur ita ut Vergilius alacriter ad iuventutis sententias rediret, quibus carmen consecravit.

Iam igitur in libro II mundus primo vere conditus celebratur, ibidemque ecce illae laudes Italiae, cuius ager feracissimus pro omnibus ceteris regionibus praedicatur, tamquam in libro III poeta Italicae vitae pastoralis laudes renovat.

Italia ergo «Saturnia tellus» appellatur, revocata fabula ex qua Saturnus, Latii regionis hospes, ibi aureae aetatis beatitudinem propagaverat. Quae mens in libro IV non desinit, ubi memoratus Corycius senex suo hortulo contentus, et maxime apium culturae narratio, quae parvi laboris est, ipsis apibus a quodam divino consilio edoctis, rustici operis laetum sensum repetunt; Orphei autem fabula reficientem cantus de natura virtutem significat, ac poetae propositum in laudibus vitae agrestis canendis prorsus ostendit. Cuius mentis vero summa ac Vergilii vivissima purissimaque sententia in libri

II parte ultima invenitur, ubi ille se naturalis doctrinae perspicienda avere, sin autem careat facultatibus ad rem idoneis, paratum pari gudio ad cantum de natura se profitetur: ex quo agrestis vitae laudes quae fertilem naturae ubertatem ac laetas agricolarum res illustrant.

Vergilius autem, totius operis fastigium attingens, testatur Romanum caput mundi esse propterea quod salubris vitae rusticae optimo exemplari firma fide concessit, a bellica immanitate abhorrens. *Quae* necopinata, commenticia conformatio – Vergilii studiosi revera nunc consentiunt in ea iudicanda poetae maxime propria – nobis ostendit Vergilium idem fieri cum ipso pacis amore, civilibus bellis infandis compositis, necnon cum ipso gaudio, quod, Augusti opera, maxime in Italia, illa aurea aetas redintegratur, quam Saturnus ibi propagaverat ac deinceps Evandi Arcades ibi perrexerant, eius exemplum Aeneae praebentes.

Quae singula res efficit ut intelligamus quid revera proprium Vergilii in Aeneide valeat contra, poematis propositione exigente, subrepticias redundantias.

His temporibus existimatur – quod mihi liceat admonere ex mea sententia probatum esse apud Propertium, El. II,34 – octavum operis librum inter primos, nisi vero primum, scriptum esse, et maxime significantem extare, veluti Concetto Marchesi putabat. Ibi enim, in Evandi narratione, omnino fulgent poematis veritates optimae: apud Evandrum auxilium petitum perveniens, Aeneas illam Arcadiam invenit quae in «Bucolicis» et in «Georgicis» laudatur, illum valentem agricolarum vivendi modum, qui in ipso loco agitur ubi Roma consurget, ideoque ostendit studium illud quod Georgicorum libri II pars ultima praedicaverat.

Pariter in libro VI – inter primos confecto – Cumana eclogae IV Sibylla Aenean ducere suscipit per Inferos ut sui divini muneric consicum faciat. Ergo, tamquam errores, per quos ille Troia in Italiam venit, omnino sunt lacrimae rerum, ita ad conficiendum opus post adventum necesse erit duro et inviso officio occurrere belli, quod damnum meliores homines ducent.

Qua de causa Vergilius, quibusdam Homericis coloribus bellum enarrans, epico generi quidpiam indulget; at vero carmen suum est tota pietas erga eos qui per fatale ac divinum iter perierunt. Sicut in libris qui «errores» memorant, poeta dolet pro aegritudine Aeneae, abeuntis a Creusae simulacro, Andromaches, solaciis impatientis Hectoris morte et cupientis agnoscendi suum Astyanacta in Ascanio, pro angore Didonis amore delusae, miserorum manum in itinere per Inferos, pariter in libris, qui Iliaci belli speciem praebent, maestitia manat de Euryalo et Niso devotis Pallantisque morte; poeticus autem spiritus tum summus fit cum nympha Iuturna, fratri Turno morte imminente, Iovem compellat quod eam immortalem voluit et infelicem; maxime autem cum Aeneas adulescentis Lausi, quem occiderat, miseretur, et eius pater, ferus tyrannus Mezentius, penitus humanus fit filium amissum lugens, et quasi iugulum ostendit alloquentis Aeneae gladio his maestis verbis: «*Quid me erepto... nato / terres? haec via sola fuit qua perdere posses. / Desine, nam venio moriturus*».

Usque ab ecloga VI, Sileni ex verbis poeta ostenderat pietatem erga omnes eos qui, ab optima Arcadia digressi, angore damnati erant. Pietas eadem altius emicat infinite apud Aeneidos praestantes locos, et ideo opus vel maxime humanitate exornatum omnium litterarum



existit. Ecce quod — longe aliter ac mortalium superbiarum tumens praeconium — temporibus nostris Vergilium poetam nobiscum tam consentientem efficit, moderationis aequitatisque sententiae auctorem, cuius ultima vox est apud «Georgica», vivida vox quae exempli fuit operi quoque subsequenti, quod tantum pro antecedenti vim intimam et revera suam ostendit.

HECTOR PARATORE